UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est, Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V. Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XXXI. De Regularibus & transeuntibus ad Religionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63462

Visual Library

# TITULUS XXXI.

## *De Regularibus, & Tranſeuntibus ad Religionem.*

### SUMMARIUM.

1. *Quinam dicantur Regulares.*
2. *Quid, & quotuplex ſit Religio.*
3. *Tranſeuntes ad Religionem quinam ſint.*
4. *Quinam debeant, vel poſſint ingredi Religionem.*
5. *Quid Juris circa Novitios:*
6. *Et an diſpoſitio Tridentini extendenda ad ingreſſuros.*
7. *Quid Juris circa Profeſſos.*

1 R*Egulares* hoc loco appellantur, qui voto paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ adſtricti, & à Mundo abſtracti in communitate ſub imperio alicujus Prælati Eccleſiaſtici vitam inſtituunt juxta Regulam aliquam ab Eccleſia approbatam: ſive dein Clerici ſint ſive Laici: mares vel fœminæ. Alio nomine vocantur *Religioſi*, quia profitentur aliquam Religionem, ſeu Ordinem Religioſum.

2 Eſt autem *Religio* (de qua mentionem facit Rubrica, & nos ſermonem) fidelium ad Chriſtianæ vitæ & charitatis perfectionem tendentium editis tribus, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ votis, ſtabilis in communi & ſecundùm certas Regulas vivendi modus, ab Eccleſia debitè approbatus. Sæpius nuncupatur *Ordo Religioſus.*

Unde

Unde quatuor eſſentialia ſubſtantialia Religionis, ſeu Statûs Religioſi & Regularis, communiter recenſentur. 1. Speciale ſtudium voluntariæ paupertatis, perfectæ caſtitatis, & obedientiæ perpetuæ, quæ virtutes quia à Chriſto ſuadentur in Evangelio ad ampliorem perfectionem Chriſtianam obtinendam, non præcipiuntur ob arduitatem ſuam, *Conſilia Evangelica* dicuntur, per quæ homo ſe & ſua omnia conſecrat DEO, per paupertatem quidem res temporales, per caſtitatem corpus, per obedientiam verò animam. 2. Vota dictarum trium virtutum, per quæ inducitur ſtabilitas, & Religio efficitur *ſtatus*, qui ex natura ſua exigit perpetuitatem. 3. Submiſſio in poteſtatem & jurisdictionem alicujus Superioris, ad ſervandas certas regulas & dicta vota compellere potentis. 4. Approbatio Eccleſiæ, ſcilicet Summi pontificis, talem modum vivendi non præcisè tolerantis, aut quomodocunque approbantis, ſed in vim veræ Religionis. Hæc Religio licèt ſubſtantialiter ſit unica, cùm omnes Ordines Religioſi in dictis ſubſtantialibus conveniant, accidentaliter tamen, nempe ſecundùm ſpeciales fines, & regulas tanquam media ad illos perveniendi, eſt multiplex: ſic alia eſt *Contemplativa*, quæ ex inſtituto ſuo principaliter ordinatur ad contemplationem rerum Divinarum Deóque vacandum per orationem, lectionem ſacram &c. utì Religio S. Baſilii, S. Benedicti, S. Bernardi, S. Brunonis, alia *Activa*, quæ ex inſtituto ſuo principaliter ordinatur ad vitam activam, ſeu ad vacandum proximo propter DEUM per opera charitatis ac miſericordiæ,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vel corporalia, vel ſpiritualia, utì Ordines Militares Equitum Teutonicorum, Melitenſium, Rhodienſium &c. qui habent tria vota ſubſtantialia, Fratrum Miſericordiæ &c. Alia demum *Mixta*, quæ utramque vitam, Contemplativam & Activam complectitur, atque ex principali ſuo fine ordinatur ad vacandum tam DEO per orationem &c. quàm proximo per opera Miſericordiæ, præſertim ſpiritualia, docendo rudes, prædicando Verbum DEI, Confeſſiones audiendo, Sacramenta adminiſtrando, moribundis aſſiſtendo &c. uti Ordo Dominicanorum, Franciſcanorum, Auguſtinianorum, Societatis JESU &c. Rurſus alia Religio eſt *Clericorum*, nempe Regularium, qui ex inſtitutione & fine ſuo principali obeunt miniſteria Clericis propria: alia *Monachorum*, qui ex inſtituto ſuo principaliùs vitam ſolitariam profitentur, non miniſteria Clericis quà talibus propria: alia *Mendicantium*, qui ex primæva inſtitutione nulla poſſident bona immobilia etiam in communi, utì Dominicani, Franciſcani, Eremitæ S. Auguſtini, & Carmelitæ; qui tamen omnes ex diſpoſitione Tridentini *Seſſ. 25. c. 3. de Regular.* bona immobilia eorumque dominium in communi obtinere & habere poſſunt, exceptis *Minoribus* ſeu Franciſcanis *ſtrictæ obſervantiæ*, ut vocant & Capucinis, quos imitantur *Domus Profeſſæ* Societatis JESU, quam Pontifices annumerârunt Ordinibus Mendicantium.

3 *Tranſeuntes ad Religionem* ſunt in duplici claſſe, eorum, qui ingrediuntur Novitiatum, ut auſpicentur probationem emiſſioni votorum præmittendam: ac eorum, qui ingrediuntur per actua-

lem

lem emiſſionem votorum, vel per Profeſſionem, per quam ultima vota evadunt & dicuntur *Solennia.* Eſt autem *Profeſſio* propriè dicta contractus ſacer, per quem homo actualiter emittens vota paupertatis, caſtitatis & obedientiæ ſe conſecrat, obligat & tradit DEO, ac Religioni approbatæ, & viciſſim Religio per Prælatum nomine DEI acceptando hæc vota ſe obligat ad Profeſſum perpetuò retinendum. Eſt duplex: *Expreſſa*, quæ fit verbô vel ſcriptô vel alio ſimili modo, licèt ſingulæ tres dictæ virtutes non explicitè nominentur, ſed ſolùm implicitè ex recepto uſu intelligantur, ut ſi Benedictinus, vel Canonicus Regularis, ſic dicat, *voveo obedientiam S. Benedicti*, vel *S. Auguſtini*; talis enim vovet omnia, quæ ſubſtantialiter tali Regulæ ſunt annexa: *Tacita* autem, quæ ſit aliquo facto, ex quo animus profitendi elicitur, ut ſiquis poſt añum Novitiatûs geſtet habitum Profeſſis proprium. *c. 18. 22. h. t.* vel exerceat actum ſolis Profeſſis competentem: ſed hæc hodie eſt rariſſima extra caſum, quo expreſſa Profeſſio fuiſſet nulliter edita. Dixi, *propriè dicta*; ſi enim Religio acceptat quidem dicta vota, non verò reciprocè ſe obligat vota emittenti, utì fit in Societate JESU, ubi ingreſſi finito Noviciatu edunt vota, non eſt propriè dicta Profeſſio, nec ita ingreſſos facit aut denominat *Profeſſos*, & vota manent ac vocantur *Simplicia* tantùm, donec poſt complures annos emittant veram Profeſſionem, qui ad eam idonei inveniuntur juxta Conſtitutiones Societatis.

Dico 1. Sicut nemo per ſe tenetur ingredi Religionem, aut cogi ad ingrediendum poteſt. 4

Trid. *ſ. cit. c. 18. de Regul.* cùm Conſilia, etiam Evangelica, non inducant obligationem, & Chriſtus ipſe hanc arduam vitæ rationem in cujuslibet libera electione conſtituerit, *Matth. 19.* inquiens: *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes & ſequere me.* Ita regulariter omnes ingredi poſſunt, nullo laborantes impedimento corporis aut animi, cùm utìque cuilibet permiſſum ſit ſalutem ſuam & perfectionem Chriſtianam promovere per media ab ipſo Chriſto ſuaſa. Aliqui tamen habent impedimentum ſubſtantiale & dirimens, quo ſtante non valet Profeſſio, utì minores 16. annis, & qui non per integrum & continuum annum priùs ſteterunt in probatione ſeu in Novitiatu. Trid. *ſ. 25. c. 15. de Regular.* Metu gravi injuſtè incuſſo adacti ad emittendam Profeſſionem. *c. 1. h. t. & c. 1. de his, quæ vi.* Matrimoniô jam conſummatô ligati ſine debito compartis conſenſu. *c. 17. de converſ. conjug.* Epiſcopi jam confirmati vel conſecrati ſine licentia Papæ. per *c. 2. ſeqq. de translat. Epiſc.* ac alii, quos particularium Ordinum ſtatuta incapaces reddunt. Alii econtra laborant impedimento ſolùm impediente, quo ſtante illicita eſt Profeſſio, utì ſervi, etiam impropriè dicti, nempe adſcriptitii, homines proprii, ſine conſenſu ſuorum dominorum, obligati ad ratiocinia, antequam ſuis Principalibus ſatisfecerint, corpore vitiati &c. utì de ſuſceptione Ordinum Clericalium in *lib. I. tit. 18. 19. 20.* explicatum eſt.

5 Dico 2. Novitii in favorabilibus veniunt ſub nomine Religioſorum, adeóque participant ſui Ordinis privilegia omnia, quibus non privantur Jure ſpeciali aut Conſuetudine, gaudent quoque

pri-

privilegiò Fori & Canonis. 2. Subjecti ſunt jurisdictioni Superioris, cui præcipienti tenentur obedire etiam in conſcientia, ac ab eodem puniri poſſunt, ſi delinquant, vel non obſervent regulas. 3. Non tamen obligantur votis Religioſis, nec per ſe & directè ad ſervandas regulas ſub peccato. 4. Item per ſe liberum ipſis & licitum eſt regredi in Sæculum. 5. Quæ libertas ut magis ſalva maneret, ordinavit Tridentinum, ut de bonis & juribus ſuis, in ſæculo habitis, etiam in favorem Religionis, validè non poſſint diſponere per actum inter vivos, eúmque gratuitum, utì eſt donatio, renunciatio, ceſſio, niſi id faciant intra duos ultimos menſes Profeſſioni proximos, & cum licentia Epiſcopi (quæ tamen multis in locis non eſt uſu recepta) atque Profeſſio actualiter ſequatur. 6. Si ergrediantur, reſtitui ipſis debent omnia, quæ ſecum in Religionem tulerunt, ipſi verò nihil tenentur reſtituere Religioni, v.g. expenſas in ſuam ſuſtentationem factas, niſi ſimulatè & ſine animo manendi fuiſſent ingreſſi, vel niſi aliter ſit conventum. 7. Si verò Profeſſionem emittant, & de ſuis bonis & juribus nullam fecerint diſpoſitionem, ea omnia ſtatim acquiruntur Religioni vel Monaſterio, ſi bonorum temporalium ſit capax. Pars 1. ſumitur ex *c. 15. de R.J. in 6. & c. 21. §. quamvìs de ſent. Excomm. in 6.* Pars 2. ex eo, quòd cenſeantur ſe ſubjicere jurisdictioni Superioris (aliàs enim non reciperentur) Superiori autem, caſu quo juſté præcipit, vel pœnam infligit, parendum eſt ex Jure Naturali. Pars 3. exinde, quòd nec ullum adhuc emiſerint votum, nec regularum obſervatio-

nem promiſerint expreſsè, nec tacitè. Pars 4. ex *c. 20. & 23. h. t.* Pars 5. & 6. ex Trid. *ſ. 25. c. 16. de Regular.* Valet tamen diſpoſitio Novitii de bonis ſuis per ultimam voluntatem, vel per contractum oneroſum, quo tantundem, vel ferè æquivalens recipit; cùm per talem diſpoſitionem ſibi non præjudicet, nec libertas redeundi ad ſæculum minuatur. Pars 7. ex *Auth. Ingreſſi. Auth. Siqua mulier. C. de SS. Eccleſ. Auth. Nunc autem. C. de Epiſc. & Cleric.* canonizatis in *can. 7. cauſ. 18. q. 3.* cum tradendo ſeipſos Religioni cenſeantur quoque omnia ſua, tanquam acceſſoria, eidem tradidiſſe: conſequenter ea omnia conſequitur Religio, non quidem jure hæreditario, ſed jure acquiſitionis.

6 Quæres, an Concilium Tridentinum, dum *loc. cit.* irritat renunciationes, donationes, & ceſſiones bonorum & jurium, à Novitiis factas ſine requiſitis ibi conditionibus, etiam intelligendum ſit de nondum ingreſſis in Novitiatum, ſed primùm ingreſſuris, qui nempe intuitu Religionis ingrediendæ talem renuntiationem &c. faciunt? ℟. Negant quidem Lezana, Diana, Portell, Peyrin, Pellizar. *tr. 2. c. 9. n. 4. Manual. Regular.* Ego tamen cum Roderiq. Miranda, Molina *to 1. de J. & J. tr. 2. d. 139. poſt med.* & Laymanno *lib. 3. Theol. Mor. tr. 5. c. 7. n. 7.* affirmo, ex hoc fundamento: finis ratio & mens Tridentini evidenter eò collimabat, ut Novitiis ſalva maneret libertas regrediendi in ſæculum, & *ne hac occaſione, quòd totam vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ*, in Monaſterium vel alios translatæ, & *non facilè recuperandæ, ſi diſceſſerint, diſcedere nequi-*

ant

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ant* (verba ſunt Tridentini) ſed hæc ratio planè non minùs pugnat apud ingreſſuros, & intuitu Religionis ingrediendæ exuentibus ſeſe bonis & juribus ſuis: ergo nec ingreſſuri validè donant, renuntiant, cedunt bonis ſuis ſine ſolennitate à Trid. præſcripta; ſiquidem mens, finis & ratio legis, quæ dicitur eſſe anima legis, vel maximè eſt attendenda, & magìs, quam ipſa verba, præſertim in lege favorabili, qualis eſt hæc, cùm principaliter intendat favere libertati à Religione diſcedendi. Confirmatur: Tridentinum non determinatè loquitur de ingreſſis, aut Novitiis actualibus, ſed abſolutè *de renuntiatione aut obligatione ante duos menſes proximos ante Profeſſionem facta:* ſed renuntiatio &c. ante ingreſſum in Novitiatum, ac intuitu & ex cauſa finali, vel ſaltem impulſiva, ingrediendi facta, verè fit ante duos proximos menſes ante Profeſſionem: ergo.

Dico 3. Profeſſi in quacunque Religione tam 7
arctè adſtringuntur Religioni, & hæc illis, ut nec ipſi ab ea recedere, vel dimiſſionem petere, nec Religio illos dimittere valeat. 2. Niſi ad ſtrictiorem Ordinem tranſire volentes. 3. Quamvìs ejici juſtis ex cauſis poſſint. 4. Et Profeſſus valorem ſuæ Profeſſionis (imò & Religio) per quinquennium à die Profeſſionis impugnare, at non ultra. Communis quoad omnia. Membrum 1. ſumitur ex *c. 5. & 7. h. t.* Membrum 2. ex *c. 18. eod.* Trid. *ſ. 25. c. 19. de Regular.* Ut autem liceat tranſitus ad alium Ordinem ſtrictiorem, opus eſt licentiâ Superioris, ſaltem petitâ ac literis dimiſſoriis, atque ut fiat ex bona intentione, non ex levitate. Siquis vellet tranſire ad

Ordi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ordinem laxiorem, vel paris rigoris, & quidem absque juſta cauſa, v. g. infirmitatis, diſſidiorum declinandorum &c. opus foret licentiâ Papæ, licèt cum ſimili cauſa ſufficeret licentia Epiſcopi, &, ſi Monaſterium foret exemptum, Superioris Regularis & Capituli. Semper autem requiritur conſenſus Prælati, ad cujus Ordinem fit tranſitus & novus probationis annus. Mendicantibus ad non Mendicantes (exceptis Carthuſianis) tranſire nunquam licet ſine ſpeciali licentia Papæ. *Extrav. 1. int. comm. h. t.* &, qui ſic tranſierunt, ſunt inhabiles ad Prioratus, Officia, vocem in Capitulo, & Curam animarum. *Clem. 1. eod.* Imò ad Beneficia Sæcularia, etiam Curata, inhabiles ſunt omnes translati ad alium quemcunque Ordinem. *Trid. ſ. 14. c. 11. de ref.* De hominibus Societatis JEſu adverte, quòd ipſis, etiam jam Profeſſis, liceat quoque ad non-Mendicantes tranſire cum ſolius Generalis facultate. *Conſtit. Cùm aliàs.* Gregor. XIII. Membrum 3. ex *can. 16. & 24. cauſ. 24. q. 3.* ac praxi, ſi nimirum juſta ejectionis cauſa adfuerit. Hodie autem juxta decretum S. Congreg. Conc. Trid. Interpret. juſſu Urbani VIII. editum, ſufficit quidem quodvis grave & publicum crimen, ſi accedat *incorrigibilitas*: ut autem aliquis haberi poſſit pro incorrigibili, & ejici, ibi ſtatuitur, ut poſt tertiam monitionem, & correctionem, in carcere per annum in jejunio & pœnitentia probatus non reſipuerit. Taliter ejectus manet quidem obligatus Votis, at ob ſtatum ſuum non ita rigidè, probabiliter tamen non Regulis in Ordine præſcriptis: tenetur quoque geſtare habitum & per emendationem ſe diſponere

ad

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ad iteratam receptionem, imò emendatum, etiam non petentem ſuſcipi, tenetur Religio recipere, ut notant DD. cum Barb. ex *c. fin. h. t.* Membrum 4. ex Trid. *d. ſ. 25. c. 19. de Regular.* Quamvis autem poſt quinquennium pro foro externo non ampliùs audiatur valorem ſuæ Profeſſionis impugnans coram Superiore ſuo, & Ordinario (ad hos enim conjunctivè pertinet cognoſcere) in foro tamen interno, ſicut nullitas ſuæ Profeſſionis certa ſit, ea tamen probare nequeat, non tenetur clàm (quod tamen facere poſſet, & laudabiliter faceret) ratificare per novum conſenſum ſuam Profeſſionem, ſed poſſet (ſecluſô ſcandalo) diſcedere. Cœterùm nullitas Profeſſionis non ſanatur ab ignaro nullitatis, licèt ſingulis annis eam renovaret etiam ſublatô impedimentô, niſi expreſsè apud ſe ſtatuiſſet, ſe Profeſſionem, caſu quo invalida fuiſſet prior, hic & nunc validam & novam emittere velle.

# TITULUS XXXII.

## *De Converſione Conjugatorum.*

### SUMMARIUM.

1. *Quid veniat per* conjugatos, *& eorum* converſionem.
2. *Quid Juris, ſi exiſtentes in Matrimonio Rato:*
3. *Vel in Conſummato, ingredi velint Religionem.*

C*Onjugati* ſunt in duplici claſſe; aliqui ſunt in Matrimonio *Rato*, quod quidem legitimè eſt contractum, nondum tamen ſe- 1

cutâ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN